



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

28. An Religiosus indigeat speciali licentia à Superiore circa electionem  
executorum testamenti ipsi à testatore commissam? Et qualiter autem  
hæc electio executorum facienda sit, &c. Ex p. 8. tract. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

RESOL. XXVI.

An Religiosus si de licentia Superioris certioratus exequatur contenta in testamento, acta sint valida? Et an viris fide dignis de licentia Superioris testificantibus, Monachus testatoris voluntatem exequi possit? Et docetur, an gratia, vel privilegium ignoranti proficiat tempore concessionis, vel a tempore, quo in eius notitiam pervenerit? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 23.

RESOLUTIO huius questionis ex illa dependet, an gratia, seu privilegium ignoranti proficiat tempore concessionis, vel a tempore, quo in eius notitiam pervenerit. Et hoc secundum verius est, ex cap. 1. vers. ex parte de concessione prebende, in 6. cap. si tibi absentis, vers. si tibi, de prebendis, in 6. lib. fin. C. de Consulib. lib. 1. 2. lib. qui absentis, vers. qui absentis, ff. de acquir. hredit. Auct. quibus modis naturales efficiantur sui, illud autem, vers. generaliter, collat. 7. in iuris comprobationem magnam Doctorum seriem congerit Pater Thomas Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 36. nu. 2. per totum. Quod subintelligit n. 4. nisi is in cuius favorem, gratia, seu privilegium concessum fuerit, per nuntium ad id destinatum illud impetret, quia tunc valet a tempore, quo tali nuntio intimatum fuerit. Unde ad premissam quaestionem afferendum erit, quod si licentia intimata fuerit a nuntio missa Monacho executori, seu Commissario, & ab eo cognita, & acceptata, tunc etenim quae postea Monachus fecerit, valida erunt, secus vero si motu proprio, vel ad instantiam alterius tertij, ab ipso Monacho non confecti, seu missi, Praelatus eam concesserit, quia in hoc secundo casu, factum a Monacho licentiam ignorantem, erit nullius momenti, iuxta superiorem resolutionem. Ex qua argumentatur Thomas Sanchez, diff. disp. 36. n. 8. ad licentiam a proprio Parocho praestandam, ad hoc, ut alienus Sacerdos matrimonio interesse valeat.

2. Et an viris fide dignis de licentia Superioris testificantibus, Monachus testatoris voluntatem exequi possit? assertivè tenendum est: cum quandoque excuram testificatione eam praecessisse constare possit. Et haec omnia praeter Doctores citatos tenet Carpius de execut. testam. lib. 1. c. 5. n. 28. & seq.

RESOL. XXVII.

An Religiosus indigeat speciali licentia, ut ex voluntate testatoris Commissarius existat ad condendum testamentum? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 24.

RESOLUTIO respondet aliqui, quos citat & sequitur Sanchez in Sum. 10. 2. l. 6. c. 11. n. 48. aequiparatur enim officium commissarij, & executoris. Nam ideo executio testamenti Religiosis interdicitur, ne litigijs involvantur, neve curis secularibus implicentur, quae ratio aequè videtur procedere in officio commissarij.

2. Caeterum Castrus Palaus tom. 3. tract. 16. disp. 4. punct. 1. §. 1. num. 10. probabilius credit Religiosum non indigere speciali licentia, ut ex voluntate testatoris commissarius existat ad condendum testamentum, eo casu quo permittitur per commissarium condici quia huius officij nulla in iure invenitur expressa prohibitio. Tacita autem colligi non potest ex prohibitione officij executoris; quia leges prohibitiuae, utpote odiosae, extendendae non sunt ad casum diuersum, necdum similem. Ad condere testamentum longè diuersum est a testamenti condici executione; quia Tom. VI.

illud est exprimere voluntatem testatoris, hoc voluntatem expressam ipsius testatoris exequi. Praeterea ratio ob quam executio prohibetur, non procedit in commissario ad condendum testamentum; ea enim fuit, ne Religiosus pecunias contraheret, ne litigia haberet in bonorum distributione; ne obligaretur iudicio stare ad reddendam executionis rationem, quae omnia in testamento condendo nullo modo procedunt, ut intuenti constare potest. Cum ergo nec expressè; nec tacite esse commissarium ad condendum testamentum inveniatur prohibitum, nulla opus erit Superioris licentia.

RESOL. XXVIII.

An Religiosus indigeat speciali licentia a Superiore civica electionem Executorum testamenti ipsi a testatore commissam? Et qualiter autem hac electio Executorum facienda sit, &c.? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 25.

RESOLUTIO sententiam tenet Sanchez in Sum. 10. 2. l. 6. c. 11. n. 41. quia Religiosus non habet velle, aut nolle. Sed omnino contrarium, scilicet nulla esse opus licentia, verius existimo, quia haec licentia idèd expostulanda necessario esset; quia electio executorum sit Religioso interdicta: at nullo textu id constare potest. Ergo expostulanda non est. Quod si dicas, ex eo quod Religioso interdicta est testamenti executio, interdicitam esse executoris electionem, quia est pars testamenti exequendi; facile responderetur, esse partem complementem & constituentem testamenti dispositionem: non autem esse partem executionis testamenti dispositi. At text. in c. Religiosus de test. in 6. solum interdicit Religiosis testamenti dispositi executionem; non verò illius constitutionem, & quae ad executionem praerequiruntur. Adde si haec executio executorum pars esset executionis testamenti Religiosis Franciscanis omnino esset interdicta; contra id quod ipsemet Sanchez num. 32. firmat. Ergo non esset dicendum electionem executorum sub executione contineri. Neque obstat ratio contraria, quod Religiosus non habeat velle, vel nolle, scilicet a superiore independens, quominus possit executorem eligere; quia ad hanc electionem sufficit habere velle, vel nolle a superiore dependens. Qualiter autem haec electio executorum facienda sit, an, inquam, debeat necessario fieri vnus ex certis qui possent exequi testamentum commissario non eligente, generalis est quaestio tam Religiosis quam secularibus. Et haec omnia docet Castrus Palaus 10. 3. tr. 16. d. 4. punct. 1. §. 1. n. 11. vbi citat Telum Fernandez in leg. 31. Tauri, n. 4. & sequent.

Non desinat tamen sententiam Sanchez docere Dicastillum de Inst. l. 2. tr. 19. disp. 3. dub. 10. n. 107.

RESOL. XXIX.

An Officium Executoris possit impleri per alium? Et in rextu huius Resolutionis apponuntur, & distinguuntur plures casus, in quibus potest, vel non potest Executor testamentarius committere munus suum alteri. Et docetur, in quo cognoscatur, an commissio sit facta nomine dignitatis, vel persona? Ex part. 8. tract. 5. Ref. 26.

RESOLUTIO respondet Sanchez in opuscul. tom. 2. l. 4. c. 1. dub. 41. per totum; sic asserens: Dico primò, quod hoc officium non potest delegari, nec

Sup. hoc supra in Ref. 10. §. 2. & superius in tr. 8. Ref. 28. §. 1.

Qq nec